

rana, saluja, mentha, betonica, sena, garyophylli, nux muscata, cinnamomum. Pillularum quibus uti debet ægrota, medio tempore assumptionis vini, descriptio talis est:

R. Pillularum de fumo terræ,
Aggregatiuarum,
De rhabarbaro ana ʒ. s.

Cum syrupo de fumo terræ fiant pillulæ quinque: Pro viro autem hæc pillulæ erunt commode, quibus utetur singulis mensibus, aut alternis saltem: ut si illi erit animus sumendi vinum, per tres dies ante eas assumet, vitans cibos crassos frigidosq; vinumq; noxium, & superfluum cibum.

R. Pillularum de hiera cum agarico ʒ. i. s.

Fiant cum mello rosato pillulæ quinque. Sumptis pillulis, poterit etiam uti interdum, si opus erit, pillulis ex aloë lota ad corroborandum stomachum bis in hebdomada, eo scilicet tempore, cum stomachus erit perturbatus.

R. Pillularum aloës lotæ ʒ. j.

CONSILIVM XXI.

Pro quodam habente dolorem capitis per consensum à ventriculo, & à toto corpore, ex vaporibus crassis & frigidis.

B I s in anno, Vere scilicet & Autumno, medicamentis humores peccantes purgantibus est hic ægrotus expurgatus. Singulis etiam septimanis ante cenam assumat ʒ. pillularum ex hiera s. Ad subducendam etiam aluum utilis est therebintina pinguis pondere ʒ. iij. tribus horis ante prandium hostiæ involuta. Ad corroborandum verò stomachum & caput utile est saccharum rosatum sumptum per horam ante prandium, & ʒ. s. pro vice. Pro corroborando verò capite præcipue vtatur lauando illud lixiuio, in quo rosæ decoctæ sint, saluia & fructulum agarici. fiat linimentum ex oleo garyophyllorū, & frictions in toto corpore: atq; hæc agenda sunt, ne succedat paroxysmus. Quod si ægrotus erit in paroxysmo, vtendum erit tali linimento in collo, fronte, temporib. & circa scapulas.

R. Terræ sigillatæ,
Boli Armeni Orientalis ana ʒ. j.
Hypocistidos,
Acatæ ana ʒ. ij.
Albuminis ouorum conuassatorum numero iij.
Aceti mediocris ʒ. iij.
Misce, quo linimento uti poterit in principio paroxysmi, vel paulò antè.

CONSILIVM XXII.

De Iudeo delirante clarissimorum Doctorum Petri Nauarræ, Frisimelicæ, & Baptiste Montani.

Doctor NAVARRA cœpit.

B T s I vestra præsentia, clarissimi Doctores, & casus q. offertur difficilimus, multa requirere videntur: tamen ne tempore abuti videar, seriem rerum or-

dine & breuiter recitabo, vt facilius iudicare possitis, quæ medicamina in posterum applicanda: neque dissimulabo quid vsq; adhuc egerim. Sextus agitur dies, cum venit extra rationem: loquitur nihil, & toruè omnes intuetur. Ante hoc tempus, quod sciam, virum illum non noui: nihilominus tamen ex breui hac consuetudine & astantium relatū, primo loco quæ mea sit de complexionem hominis sententia, expediam. Sentio eum calidum esse & siccum à prædominio bilis, & subdominio sanguinis: status etiam corporis indicat, est enim gracilis, color niger, & vigiliæ, & promptitudo ad omnes actiones, pronus fertur ad iram, optimi ingenij vir & discursus. Æstimatur ad hæc complexio totius ex principalibus, cerebro nimirū, hepate & corde. Præsuppono ista omnia, ne si omnia persequar, tædio vos afficiam, & accedo ad dispositiones non naturales, & accidentia, quæ magis curam Medici ad se trahunt. Dixerunt astantes, quod semper fuerit extra rationem. Ante hoc tempus occupatus fuit maximis occupationibus, timebat multum, & irascatur leuib. de causis, exercuit maximam negociam, longa confecit itinera, sub diu multum fuit, exposuit se calori & frigori. Cum rediit in Italiã, in hæc mala incidit: aderant hæc accidentia, vidit stupidum: oculi impotentis motus erant, irato vultu, iracundus verberare voluit astantes, seipsum ex lecto volutauit: loqui noluit, vt ego credo, quadam imaginatione. Tangebamus brachium contractum, at nolebat se exponere tangenti: post dimittebat se tangi, & membrum offendimus flexibile satis. In hoc autem obseruandum, venit variari symptomata pro diuersitate horarum: mane loqui noluit, circa vespas loquebatur incompositè, postea in prima hora noctis deterius se habebat: similiter cum erat in tali dispositione, comedere nolebat: succedente deinde tempore, diuersa & alia inuadebant symptomata, vt in media die compos erat mentis, post impos. Heri pulsus adhuc fuit cum bona mensura, tardior quàm frequentior: vidimus talem mutationem, vt vix tangeremus pulsus cum subtractione. Beneficium ventris aliquot diebus habere non potuit, nec vi cœnematis. In principio, vt referunt illi, qui adfuerant, in quodam oppidulo missus est sanguis, notabili, vt audio, quantitate. Alij referunt missum ad ʒ. vj. Quid præterea egerit ille, referre non possum: quæ mea fuerit sententia, exponam. Si autem, auctoribus Hippocrate & Galeno ʒ. de Loc. affect. esse melancholicum, quia timebat, aderat perturbatio mentis, leui de causa irascebatur. Febri autem liberatum mirabar, & Doctores sine hac esse nolunt, sæpe tamen sequitur. Melancholiæ plures esse possunt causæ, quæ quidè omnes in hoc viro valde sunt potentes. Primò extrinsecæ: quia sollicitus, timidus, & habuit sæua animi accidentia. Hæc verò quomodo causant melancholiam, clarum, quia impediunt concoctionem, & membra principalia debilitant. Huc accessit etiam victus ratio, qua melancholia multiplicatur, vt si quis vescatur pastiliis, carnibus salitis, lentibus, auctore Galeno ʒ. de Interioribus. Similiter & alia causa mali, quia notabiles oppilatio-